



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Iacobi Bidermani E Societate Iesv Vbaldinus Sive De Vita
& Indole Antonii Mariæ Vbaldini Vrbinatis, Monteaë
Comitis, Breviarivm**

Bidermann, Jakob

Fribvrgi Brisgoiae, 1663

Laudatio funebris. 75

urn:nbn:de:hbz:466:1-44891

LXXV. Laudatio funebris.

ET cupierant quidem hi vehementer publicos honores Virtutis causâ deferre: eamque ob rem, tædis ardentibus, pompæque conspicua sodalem amissum prosequi; ni visum præfidi fuisset, postulata, iustis de causis, moderari. Certè tamen, quin domi ab ijs postea suus defuncto honos haberetur, inhiberi studia non potuere. Nam Seminarij aula lugubri peristromate, quanta quanta est, prætexta: & pictis circum parietibus elegidia, quæ suam morti sæuitiam exprobrarent, longo fuerunt ordine explicata. Luserunt multorum anagrammata; luxerunt poemata; certarunt epigrammata: aliæque calami lucubrationes,

confertim in Parcarum inuidiam laborarunt. Dixisses eos, nō adolescentulo sodali, sed communi omnium parenti; inferias dare; desperante modum affectu, dum paribus indicijs, seu animi sui dolorem, seu amorem Vbaldini frustra connituntur æquare. Denique ne quid ex funerum vulgarium more fieret; prodijt orator & pro suggesto ad frequentissimam concionē, de laudibus adolescentis, cum omnium approbatione perorauit. Quem secutus è vestigio est Poëta, vt, quamuis ligata pede; numerisque vincta oratio, in defuncti tamen elogia ore affectuq; libero effunderetur.